

quente, fugam arripuit, divino manifestante iudicio: quia quod in Nortmannos fuerat actum, non humanâ, sed divina virtute patratum extiterit. Atque sunt, qui ajunt Ludovicum Germanicum regnum etiam Gallia suscepisse, & tum de Nortmannis triumphasse. Gobelinus Persona Cosmodrom. Act. VI. c. XLIII. *Ludovicus Rex filius Lodovici R. Teutonia, ad Gallias se transfert, & ibi honorificè in Regem susceptus est. Id quod Calvisius non de regno ipso, sed de tutelâ accipit ad Ann. 880. ait: Ludovicus II. Germania Rex in Galliam profectus, filios Ludovici Balbi in tutelam accipit, indem Martio Normannos ad Scaldam fluvium vicit, quinque millibus occisis, in quo tamen filius Hugo cecidit. Inde pupillis suis Galliam divisit, & Ludovicus quidem natu major Franciam & Neustriam accepit, Carolomanus verò natu minor, Burgundiam & Aquitaniam. Aimoin. Ego verò nihil tale quidem ex Aimoino colligere potui, sed hoc quidem, quod conspiratio fuerit Goslini Abbatis & complicum contra Ludovici Balbi filios in Gallia, & is concitaverit Ludovicum Germanicum ut in Franciam Occidentalem veniret: quam conpirationem eluserint Galtherus Episcopus Aurelianensis & socii, offerentes Ludovico Germanico partem regni Lotharingici, quâ acceptâ ille in regnum suum abiret, & Galliam seu Franciam Occidentalem Ludovicum Gallicum cum fratre securè possidere consentiret. Ludovicus itaque Germanicus cum suis acceptam habens oblationem, cum dedecore Goslinum & Conradum ac complices rejecit, & acceptâ regni parte sibi oblatâ, rediit ad palatium suum Franconofurt, A. 880. Aimoinus Lib. V. c. XXXIX. & cap. seq. ubi & de altera Goslini conpiratione & pactis ta-*

D

men

Germanic.  
Ludov. II.

Qr.

Rat. r.  
pro Lud. Ger-  
man.

Refp.